



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

Agostini, Giuseppe

Coloniae Agripp., 1644

De Blasphemia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41767

sunt suspecti in Fide. Agunt de Maleficio *Suar. loc. cit. cap. 6. & 17. Filliuc. loc. cit. cap. 8. Sanch. loc. cit. cap. 41. Bonac. loc. cit. punct. 5. Tolet. loc. cit. cap. 16.*

De Blasphemia.

13 **P**Eccatur etiam contra hoc primum præceptum per blasphemiam. Est autem Blasphemia conui-
cium, vel dictum, vel maledicentia contra Dei laudem, & honorem ei debitum: & aliquando est coniuncta cum hæresi, aliquando non, iuxta supradicta. Potest autem esse, Primò per modum enunciationis: ut cum negatur de Deo id, quod est, vel affirmatur id, quod non est, ex prauo voluntatis affectu: ut si quis diceret, iniustus Deus, etiam si id non ita credatur esse. Secundò per modum imprecantis, vel detestantis: ut maledictus Deus, ad despectum Dei, Huc reducuntur blasphemix illæ ordinariæ, per sanguinem, vel corpus Dei, &c. quando non sunt verè iuramenta, sed quodam iræ impetu dicuntur in virtutalem aliquem Dei, vel Christi Domini contemptum.

14 Blasphemia alia dicitur Hæreticalis, alia Simplex. Prima est in qua, quoad verba, continetur error contra Fidem: sed reuera intellectus nõ assentitur illi errori: alioqui esset vera hæresis. Secunda est, in qua non continetur talis error. Similiter, quando similia conuicia dicuntur in Sanctos, & res sacras, est blasphemia: quatenus hæc peculiari modo pertinent ad Deum. Et quamuis facere dæmonium sanctum sit blasphemia hæreticalis, tamen in aliquibus locis, propter communem vsum, habet rationem simplicis blasphemix. Blasphemix in Sanctos omnes sunt eiusdem speciei: at verò in Deum immediatè, aut in Beatam Virginem; videntur esse diuersæ speciei: sicuti latria, hyperdulia, & dulia, sunt diuersæ speciei intra virtutem Religionis. Agunt de Blasphemia *Suar. tom. 1 de Relig. tract. 3. lib. 1. à cap. 4. Sanch. loc. cit. cap. 32. Filliuc. loc. cit. tract. 25 cap. 1. Tolet. lib. 4. cap. 13. Azor. tom. 1 lib. 9. cap. 28.*

15 Maledicere creaturis irrationalibus precisè, & nõ in quantum referuntur in Deum, aut in Sanctos; communiter est

est veniale : at verò maledicere creaturis rationalibus, potest esse mortale, si res est grauis, & consensu deliberato, vt in tale malum incidant. & iuxta qualitatem mali, est qualitas peccati. *Lege Fil. linc. tom. 2. tract. 10. cap. 5.*

De Irreligiositate, & Sacrilegio.

16 **V**Niuerſaliter peccatum contra Religionem dicitur Irreligiositas, vel Sacrilegium. De qua diuisione plura *Suar. tom. 1. de Rel. tract. 3. lib. 1. cap. 1. & lib. 3. cap. 1.* Est autem Sacrilegium læſio, seu violatio rei sacræ: nempe vel personæ, vel loci sacri, vel aliorum pertinentium ad hæc, in quantum sacræ res sunt: vt sunt vestes sacræ, & similia. Itaque sacrilegium est violare personas sacras, vt sunt Clerici, & Religiosi, iniiciendo violentas manus in illas, suadente Diabolo: violare immunitatem personarum earundem, aut Ecclesiarum: abuti vestibus, & vasis sacris ad res turpes, & prophanas: peccare contra votum castitatis. Item probabile est in Simonia inueniri